



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Ss. Martyrvm Crvciatibvs Antonii Gallonii Rom. Congregationis Oratorii Presbyteri Liber

Gallonio, Antonio

Romae, 1594

De tauro æneo, sartagine, olla, lebete, craticula, & lecto, item de sella,  
galea, ac tunica, alijsq. ferreis ignitis martyrij instrumentis. Capvt  
Septimvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10704**

*De tauro aëneo, sartagine, olla, lebete, craticula, & lecto, item*

*de sella, galea, ac tunica, alijsq. ferreis ignitis*

*martyrij instrumentis.*

## CAPVT SEPTIMVM.

**Q**uoniam superiore capite de illis martyrij instrumentis egimus, quibus damnati homines exurebatur; reliquum est modo, vt de alijs quibusdam hic inuestigemus, quibus eodem vel consimili cruciatus genere ijdem affici solebant. Incipientes itaque a tauro aëneo, dicimus extitisse apud antiquos genus tormenti immanissimum: in quem (veluti Acta S. Eustachij martyris manuscripta demonstrant, & Lucianus in dialogo, qui Phalaris primus inscribitur) per dorsum apertum (ostium enim vnū in latere habebat) si quis ibi aderat cruciandus, coniciebatur: & postea dorso iterum concluso, ignis circum ipsum accendebatur; ex quo fiebat, vt ibidem clausi, inusitatis doloribus detenti, bouis mugitum, & plorando, & vociferando, ederent. Fuit autem hæc aënea machina sic ad veri tauri imaginem accurate expressa, vt (sicuti idē Lucianus loco prædicto testatur) motus illi dūtaxat & mugitus deesset, quo minus viuus crederetur. Porro eiusdem machinæ inuentor (Quidius auctore lib. 5. de tristibus eleg. 1.) fuit quidam Atheniensis ingenio præstans, Perillus, seu Perillaus nomine: qui arbitratus se Phalari Agrigentorum Tyranno rem valde gratam facturum, quippe qui nouis semper tormentis delectaretur, cum præcipuam præ rebus omnibus in sumendis supplicijs voluptatem capere soleret; ab hac sua spe, qua tenebatur, deceptus remansit: nam Tyranni iussu, a quo non leue munus sperabat, in taurum coniectus, primus artis suæ specimen præbuit. quocirca Quidius de eo sic cecinit:

*Et Phalaris tauro violenti membra Perilli*

*Torruit: infelix imbuit auctor opus.]*

Propertius item lib. 2. hæc de eodem:

*Et gemere in tauro, sæue Perille, tuo.]*

His adiungimus Valerium Maximum lib. 9. cap. 2. de crudelitate

*De tauro aëneo*

*Perillus inuentor  
tauri aënei.*

*Perilli mors.*

tate hæc de Perillo externorum 9. narrantem :

Sæuus etiam ille ænei tauri inuentor, quo inclusi subditis ignibus, longo & abdito cruciatu, mugitus resonante spiritu edere cogebantur, ne eiulatus eorum, humanæ sono vocis expressi, Phalaridis Tyranni misericordiã implorare possent: quam quia calamitosus deesse voluit, teterrimum artis suæ opus primus artifex inclusus merito auspicatus est.] hæc Valerius Maximus. Si de his plura noscere cupis, lege Phalaridis epistolam 103. Ciceronem in L. Pisonem, Plinium lib. 84. cap. 8. Ouid. de tristibus lib. 5. eleg. 1. & Lucianum in dialogo, qui Phalaris primus inscribitur; licet ibi aliqua misceantur, quæ vera non sint: fingitur enim eo loco taurum Perilli a Phalaride Delphos mitti, vt ibi in templo inter cetera donaria Deo consecretur; & quia apud omnes pro crudelissimo atque immanissimo Tyrãno habebatur, ob id ne donum hoc Delphi, vt ab impio & nefario profectum, reijceretur, oratione mendacijs referta, contra famam hanc de se diuulgatam, per legatos sese defendisse.

Lucianus in suis dialogis multa fingit de tauro æneo.

Phalaris quo mortis genere peremptus.

Verum non solum Perillus suæ artis experimentum præbuit, sed & Phalaris quoque: nam cum nimia eius atrocitas amplius ferri non posset, facto in eum vniuersorum ciuium impetu, correptus, eo ipso tauro, quo alios exusserat, inclusus, viuis crematus est. Quamobrem Ouidius in Ibin hæc memoriæ tradidit:

*Vtq. ferox Phalaris, lingua prius ense resecta,  
More bouis Phario clausus in are gemas.]*

Diuersa sentire videntur ex antiquis aliqui de Phalaridis morte.

Dissentire ab hoc auctore videtur Valerius Maximus, qui lib. 3. cap. 3. de patientia externor. 4. loquens de morte Phalaridis, in hæc verba prorupit: Increpitans Zeno Agrigentinis ignauiam, ac timiditatem, effecit, vt subito mentis impulsu concitati, Phalarim lapidibus prosternerent.] hæc Valerius; cui proxime, ni fallamur, accedit Cicero de officijs lib. 2. dum ait: Phalaris præter ceteros nobilitata crudelitas, qui non ex insidijs interijt, sed in eum vniuersa Agrigentinorum multitudo impetum fecit.] hucusque Cicero: cuius quidem ac Valerij verba si attente spectentur, apparebit eos ab Ouidio non differre: nam lapidibus fortasse primum appetitus fuit, & postea in bouem æneum candentem (vt Ouidio, alijsq. placuit) coniectus.

Præter

Præter hos, alij etiam permulti hoc supplicij genere affecti fuere, quorum aliqui Christianam religionem profitebantur: Gentiles quippe ea furoris rabie in Christi fideles insiluerunt, vt immanissima, ac vetera, & antiquata quæque martyrij instrumenta in illorum interitum excitauerint, atque applicuerint. Ceterum Christiani, qui in eum immissi atque inclusi fuerunt, hi sunt, Antipas, Eustachius patricius Romanus, Theopistes eius vxor, Agapius & Theopistus filij, Pelagia virgo, qui omnes (vt ipsorum Acta clamât) alacri promptoq. animo in bouem candentem insiluerunt; nam Antipas immensas Deo gratias agens, & Eustachius cum vxore & filijs nimia lætitia exultans eum sunt ingressi, & Pelagia virgo Tarsensis hymnum illic maximo gaudio triumphans cecinit Deo.

*Christiani in tauro aeneo excruciatii, & qui nam hi fuerint.*

*Antipa Acta Suriius tom. 2. & Lipom. 7. ex Metaphr. Eustachij vetera manuscripta, & Lipom. 6. & Sur. 5. ex Metaphr. Pelagiae Lipom. 7. Suriius 3. ex eodem Metaphr.*

Præterea de quibusdam alijs Christianis martyribus legimus, fuisse candenti tauro inclusos; qui tamen, diuina eos protegente gratia, illæsi atque incolumes ex illo exiere: fuerunt ex horum numero miles quidam, Barbarus nomine, cuius res gestas Petrus descripsit catalog. lib. 4. cap. 170. & Heliodorus, de quo Græci in suo Menologio 13. Kal. Decemb. his verbis agunt:

*Barbarus miles Christianus in tauro aeneo inclusus non moritur.*

*Heliodori martyrium.*

Natalis S. martyris Heliodori ex Maghedo vrbe Pamphiliæ, Imperatore Aureliano in vrbe Roma, præsidente Aetio in Maghido ciuitate Pamphiliæ, B. Heliodorus in illa ipsa vrbe Christum prædicans, delatus est apud Præsidentem. Itaque adductus, cum idolis sacrificare non pateretur, suspenditur, & laceratur: cumq. tormentorum acerbiter sentiret, clamabat: Domine Iesu Christe, adiua me. Statimq. e cælo voce missa, audiuit: Ne timeas; tecum enim sum. Hanc vocem, qui faces accensas tenebāt, atque insuper quatuor videntes Angelos tormentorum vim prohibentes, in Christum crediderunt, & arguentes Præsidentem, in mare proiecti sunt, victoriæ coronas percipientes. Tunc iussit Præsides æneum bouem accendi, atque in illum martyrem iniici: & coniecto, confestim eius precibus ardens bos ille effectus est frigidus. Ea re Iudex magis obstupuit, quod virum illum intus psalmos canentem sensit. Accedens vero ad aream illam machinam, cum vidisset scintillas modo emittentem, repente frigidam effectam; sanctum virum increpans, Tu ne, in-

*Heliolus in boue aeneo inclusus non leditur ab igne.*

quit, scelestum caput, tuis magicis artibus in ignem praeualuisti? Cui sanctus ille; Meæ, inquit, magicæ artes, Christus est. Præscribe mihi, inquit, trium dierum tempus, ut mecum ipse cogitem, quid agere debeam. Itaque remissione accepta, clam templum deorum adiit; cumque Deum precatus esset, idola omnia repente decidentia contrita sunt. Quod cum audisset Præses, Heliodorum ad se ductum, furore plenus, suspendi iussit, & clauos ignitos in eius caput defigi: cum vero Iudex vidisset martyrem nec multitudine, nec varietate tormentorum superari, ad ciuitatem Atalensium illum misit: ibique constanter in confessione permansens, in feruentem sartagine immixtus est; ubi stans, atque orans, illæsus permansit. ex quo circumstantes crediderunt in Dominum, dicentes: Vere magnus est Deus Christianorum. Ut vidit Præses multos in Heliodori Deum credidisse, timens ne forte e manibus eius eum eriperent, iussit ad urbem Maghedo reduci: quem milites orantem & psallentem duxerunt. Rursus vir sanctus interrogatus, eandem Christi confessionem repetens, magis magisque asseruit. Præses iussit linguam excidi, & suspensum duabus horis cædi, & como imposito extra urbem traxerunt. quibus vir sanctus manu annuens, constitit ad prædicandum: qua prædicatione completa, obtruncatus est.] hucusque Menologium. Iam vero de olla agamus.

*Camus genus vinculi. hinc Plautus in Cass. potuit pro fune, quo damnati furæ alligantur.*

*De olla martyrii instrumento.*

Meminit de olla martyrii instrumento Scriptura sacra Machab. 2. cap. 7. Iosephus lib. de Machabæis ad Polybium, & Acta sanctorum, nimirum Bonifacii a Surio tom. 2. ex Metaph. recitata, & a veteribus manuscriptis tum nostræ bibliothecæ, tum aliorum; Iulianæ a peruetustis etiam codicibus manu exaratis, & a Metaphr. Suriij 2. & Lucianæ Romanæ a veteribus similiter nostræ bibliothecæ manuscriptis.

*Olla quid sit.*

Erat olla (sicuti Nonius Marcellus, & prædictæ sanctorum res gestæ indicant) capacissimum vas ex ære confectum, in quod damnati homines vestibus denudati immittebantur, ut ibidem elixarentur.

Scire

Scire hic poteris, hæc in more maiorum extitisse, vt plurima vasorum genera habuerint ad reos in ipsis excrucianos, & maxime Christianos: utebantur enim sartagine ad eorum carnes suffrigendas, lebete & olla ad easdem elixandas. Erat olla (vt nuper tetigimus) illud vasis genus, quod nos vulgari sermone pentolam dicimus, in quo carnes elixantur. Demonstrat hoc non solum huius Latinæ vocis, ollæ, significatio, sed permulti quoque antiqui scriptores, qui per ollam hoc idem, & non aliud intellexerunt. sic Varro a Nonio Marcello relatus, cum ait: Simul manibus trahere lanam, necnon simul oculis obseruare ollam, pultis ne aduratur. ] Plautus, teste eodem, in Amphitrione: Optimo iure infringatur aula cineris in caput. ] idem etiam in Aulularia, præcipue actu 1. & Persius satyra 4.

*Cape, & farratam, pueris plaudentibus, ollam. ]*

id est (veluti expositores ibidem) pulsem, quæ in ollis coquebatur, & fiebat ex farre. Amplius Columella lib. 8. cap. 8. Eius, inquit, pulli fætilibus ollis conduntur. ] S. Isidorus etymologiar. lib. vlt. cap. 6. vbi de olla loquens, idem prorsus quod nos, pluribus asserit.

Erat igitur olla (vti iam explicauimus) vas amplissimum ex ære factum, in quo martyres ignominie gratia elixabantur; fabricatum (vt quædam peruetustæ ostendunt, quæ ex huiusce vrbis ruinis erui nonnumquam solent) ad ollarum, quibus vtitur ad cibaria coquenda, similitudinem, absque oris, cum duabus ansis, quæ vel partim quadratæ erant, partimq. rotundæ; quadratæ ab imo ad mediũ, rotundæ a medio ad extremum: vel erant humanarũ aurium instar confectæ. ab alijs vero lateribus inerant illis duo ferri frustula paululũ excauata, alterũ aduersus alterum; quibus, ad vectes ligneos immittendos, annuli quidam ferrei (vt tortores eas manibus & facilius tenere potuissent, & quocumque eis placuisset, gestare) indebantur. Apparebunt omnia hæc & singula in ea olla, quam hic ex vna antiquarum desumptam tabella exprimendam curauimus.

*Vasa plurimum generum instrumenta carnificinae.*

*Olla martyrij instrumentum quo modo fabricata.*

*Modi, quibus Dei omnipotentis famuli in ollam immittebantur.*

Demisso quandoque ad terram capite in ollam ferui Dei immergebatur. quocirca de S. Bonifacio martyre hæc in eius Actis leguntur: Iratus Iudex iussit afferri ollam, & eam pice impleri bulliente, & mitti in eam sanctum martyre, id est, Bonifacium, verso capite. Sanctus autem martyr Christi, facto signo crucis, mersus est in ollam. ] hæc ibi.

Ad hæc, conijciebantur etiam in ollam sic prælo pressi, atque plicati, vt caput eorum ad genua pelleretur. huius alterius modi testis est Iosephus loco cit. his verbis: Carnificum manibus ollæ æneæ imponitur (hoc pœnali supplicio nomen est) prælo girato, hoc est, versato, sanctum caput ad genua impellitur, sicq. corpore deorsum redacto, pugil in eam, quam diximus, ollam miserime delituit. ] hæc ibi.

*Prælum marty-  
rij instrumentum.*

Aduertat hic lector, Iosephum per prælum denotasse quoddam instrumenti pressorij genus: prælum quippe non tantum trabem illam significat, qua in torculari vua, vel oliua calcata premitur, sed etiam, Budeo teste, instrumentum pressorium, quo potissimum pannarij, chartarij, & librorum impressores vtuntur. Vnde Plinius lib. 13. cap. 12. de chartarum generibus: Premuntur, inquit, deinde prælis, & siccantur Sole, atque inter se pagellæ iunguntur. ] hæc ille.

*De lebete.*

Erat aliud genus vasis, quo maiores (vt res gestæ martyrum testantur) ad Christianos elixandos vtebantur, lebes æneus amplissimus, in quem oleo piceq. feruentibus, plumbo ceraq. liquentibus, aut consimilibus refertum ijdem inijciebantur. legitur de eo sæpissime in Actis sanctorum martyrum, nominatim Sabæ a Rom. Martyrologio & Menologio descriptis VIII. Kal. Maij, Zenonis ab ijdem libris III. Non. Septemb. Venerandæ virginis a Petro lib. 10. cap. 61. Præterea legitur quoque de lebete Machabæorum cap. 7. & in Iosephi lib. de Machab. ad Polybium.

Quod

Quod vero ad formam eius attinet, videtur nobis (vt alia  
missa faciamus) satis dilucide innuisse eam Ouidius Meta-  
morphof. 2. dum inquit:

*Vina dabant animos, & prima pocula pugna  
Missa volant, fragileſq. cadi, curuiq. lebêtes.]*

In ambobus hiſce instrumentis excruciatu fuere quamplurimi  
Chriſti milites: in olla Bonifaciuſ, Iuliana, Lucia, & Erasmus:  
in lebête Zeno, Veneranda virgo, Saba, Marinuſ, Pantaleemon,  
Pauluſ, & Iuliana, Eulampiuſ, Eulampia eiſ ſoror, & Zeno-  
biuſ, Zenobiaq. fratres.

*De ſartagine martyrii instrumento.*

Mentio fit de ſartagine Machab. 2. cap. 7. & in quampluri-  
miſ ſanctorum martyrum Actiſ, nempe Eleutherij Episcopuſ a  
veteribuſ manuſcriptiſ, & a Metaphr. Lipom. 5. & Suriſ 2. re-  
latiſ, cuiuſdam etiam martyriſ, cuiuſ nomen ignoratur a Rom.  
Martyrolog. 5. Kal. Auguſti, & a S. Hieronymo in vita S. Pauli  
eremitarum nouæ legiſ auctoriſ ac magiſtri, in eiſ exordio.  
Item de eadẽ ſartagine in Actiſ Fauſtæ virginiſ, & Eulaſij a  
Metaphr. recitatiſ apud Aloyſiuſ Lipomanuſ tom. 5. & Su-  
riuſ 1. & demum Iuſtinæ virginiſ ac Cypriani a veteribuſ ma-  
nuſcriptiſ, & a Mombrit. tom. 2.

Erat ſartago (ſi huiſ vocis ſignificatiõni, prædictiſq. ſancto-  
rum martyrum historiſ fideſ eſt adhibenda) patella quædam  
ampla, quæ (vt martyrum Acta teſtificantur) oleo, pice, reſina,  
ac ſulphure referta, igni applicabatur; cumq. ebullire, atque ef-  
ferueſcere inciperet, iniiciebantur in eam vtriuſque ſexuſ Chri-  
ſtiani, qui conſtanter fortiterq. in Chriſti fidei confeſſione per-  
ſiſtiſſent, vt inſtar piſcium in oleum ſeruens coniectorum, torre-  
rentur, ac ſuffrigerentur. Quocirca in S. Romani martyriſ hym-  
no hæc a Prudentio de vno ex ſeptem fratribuſ Machabæiſ in ea  
cruciato ſcripta leguntur:

*Videbat ipſoſ apparatus funerum  
Præſentiuſ ſuorum, nec mouebatur parentiuſ,  
Latata, quotieſ aut oliuo ſtridula*

*Forma lebêtiſ  
qualiſ fuerit.*

*Acta ſanctorum  
Bonifacij, Iuli-  
anæ, atque Lucie  
qui referant, vi-  
de ſupra, ſicuti  
etiã Zenoniſ, Sa-  
bæ, & Veneran-  
dæ virginiſ.*

*Erasmuſ vero A-  
ctæ Petruſ de-  
ſcripſit lib. 5. cap.  
75.*

*Marini idem an-  
ſtor lib. 2. c. 60.  
Pantaleemoniſ ve-  
tera manuſcri-  
pta, & Suriuſ  
ex Metaphraſte  
tom. 4.*

*Pauli & Iulia-  
næ idem tom. 4.  
Eulampij & Eu-  
lampiæ idem 5.  
Zenobij & Zeno-  
biæ idem etiam  
eodem tomo.*

*Sartago quidnẽ  
fuerit.*

*Martyreſ in ſar-  
tagine ſuffrige-  
ntur vt piſceſ in  
eam iniecti.*

*Sarta-*



*Sartago frixum torruisset puberem.]*

*Sartaginis forma  
qualis.*

*Urcur, quo san-  
ctus Laurentius  
baptizauit Roma-  
num militem, est  
hic in Vrbe.*

Ceterum, quod ad eius formam ipeccat, in ea nos sumus opi-  
nione, vt credamus rotundam illam fuisse: nam ( vt experientia  
ipsa docet, ipseque pariter vsus ostendit ) singula vasa, quibus vel  
ad elixandum, vel suffrigendum, aut ebulliendum vtimur, ro-  
tunda sunt. nec profecto verti in dubium debet, vasa, quæ no-  
bis hodie vsui sunt, ab antiquorum exemplaribus dimanasse, li-  
cet illis sint ea perfectiora: Siquidem ( vt dixit vir ille ) facile est  
inuentis addere. Præterea reperiuntur aliqua vasa peruetustis-  
sima, quæ integra in hunc diem & permanserunt, & adhuc per-  
manent, quæ non habent formam aliam a nostris. cuius rei fidẽ  
faciunt ollæ, vrcei, & alia huiusmodi, quæ ex ruinis Urbis ali-  
quando eruuntur. Inuisitur vnum horum in hunc vsque diem in  
ecclesia S. Laurentij extra mœnia, illud nimirum, quo fortissi-  
mus Christi athleta Laurentius militem quemdam Imperatoris,  
Romanum nomine, baptizauit. Cum igitur vasa, quibus nos  
vtimur, a vasis prisorum dimanauerint, & hæc nostris simillima  
valde fuerint; consequitur ex his, sartagine, de qua hic loqui-  
mur, circularis figuræ extitisse. Amplius antiqui scriptores in  
suis vasis describendis vsi sunt verbis quæ hoc idem omnino  
ostendunt, vt patet ex Ouid. loco citato. Sartago igitur apud  
veteres circularis extitit figuræ.

*Modus, quo martyres in sartagine torquebantur.*

Dupliciter Christiani in sartagine torrebantur: nonnumquã  
enim toto corpore, vultu ad cælum verso, in eam conijcieban-  
tur; & tunc, quia aliqua debet esse proportio inter instrumentum  
excruciandi, & hominẽ in eo excruciatũ, dicerem fuisse iniectos  
in sartagine, quæ magis ad oui similitudinem, quam ad perfe-  
cti circuli formam accessisset: nonnumquam vero ( veluti S. Eu-  
phemiæ Acta attestantur a Petro lib. 8. cap. 84. relata ) non to-  
to corpore, sed per membra singula; quamobrem hæc ibi litte-  
ris consignata habentur: Mandauit Priscus Proconsul eam, id  
est, sanctam virginem, ferris membratim diuidi, & in sartagine  
diuisa membra torreri, &c.] Porro fuisse hanc sartagine, sicuti  
nostræ

nostræ sunt, figuræ circularis, quia probabile alicui forte videri posset, vt probabile asseramus.

Ad hæc notabit lector, sanctos martyres, dū in sartagine torrebantur, furcis quibusdam ferreis ibidem compressos fuisse: par enim atque vna ratio esse cratis ferreæ videtur, atque sartaginis; nam & in hac, & in illa Christiani adurebantur. Sicuti igitur qui in craticula assabantur, furcis in ea ferreis (vt sancti Laurentij Acta inquirunt) coarctari a carnificibus solebant; sic qui in sartagine cruciabantur, iisdem compressos fuisse, affirmare est opus.

Porro in hoc vasis genere martyrio affecti leguntur Eulafius, Cyprianus, Fausta, atque Iustina virgines, Conon, & filius eius infantulus, cuius nomen adhuc ignoratur, item Marinus, Eleutherius, alijq. permulti.

*De craticula, lectoq. ferreo.*

Visis instrumentis, quibus Christiani vel elixabantur, vel suffrigebantur; superest modo, vt ad illa quoque sese nostra conuertat oratio, quibus eorū carnes a Gentilibus assari\* solebant: fuerunt autē hæc, craticula, & lectus ferreus, quorum vtrorumque crebra in sanctorum martyrum Actis habetur mentio. Craticulæ in rebus gestis plurimorū sanctorum a Martyrolog. Rom. relatis 3. Id. Aprilis, & ab Eusebio lib. 8. cap. 24. sanctorū item Eleutherij, & Cononis, quorum paulo superius meminimus, S. Dulæ a Rom. Martyrolog. 17. Kal. Iulij, sancti Dorothei a Surio tom. 6. sub S. Domnæ virginis inscriptione, S. Laurentij a veteribus manuscriptis, & a Surio tom. 4. sanctorum Macedonij ac sociorum a Rom. Martyrolog. pridie Id. Septembris.

Lecti vero ferrei in Actis pariter S. Eleutherij fit mentio, & præterea in illis quoque beatissimorum Clementis Ancyranij, & Agathangeli a Metaphr. recitatis Surij 1. Platonis ab eodem auctore Lipomani 5. & Surij 4. & aliorum. Iam vero ad cratem ferream reuertentes, dicimus fuisse eam, sicuti vox ipsa significat, prædictæq. sanctorum historiarum, & craticula illa indicat, in qua sanctissimus Christi confessor Laurentius assatus fuit, religiose asseruata partim in basilica S. Laurentij in Lucina, & par-

*Furca ferrea in sanctorum carnificibus.*

*Eulafij Acta, Fausta, Cypriani, atque Iustina qui referant, vide supra.*

*Cononis Acta Petrus lib. 5. c. 62.*

*Marini idem Petrus lib. 2. c. 6.*

*Eleutherij Lipom. 5. & Sur. 2. ex Metaphr. Mombricius tom. 1. & Martyrolog. Roman. XIV. Kal. May.*

*\* Assabatur martyrum carnes.*

*Cratis ferrea, in qua assatus fuit S. Laurentius, seruat hie in Urbe.*

tim in

*Cratis ferrea  
quomodo con-  
structa.*

tim in Paneperna. Erat, inquam, ea tribus ferreis costis per longum ad palmum inter se distantibus fabricata, vnius digiti crassitudinis, duorum latitudinis, & longitudinis congruentis, cum septem vel pluribus frustis ferreis per obliquum positis, & a se ipsis palmi medietate disjunctis; quorum aliqua rotunda erant, aliqua vero quadrata, illa nimirum duo, quæ costis per longum ductis ad craticulam construendam firmandamq. coniungebantur. inerant præterea in eiusdem angulis, atque in medio frustula quædam similiter ferrea eleuata paululum e terra, a quibus, quasi pedibus quibusdã, machinula illa sustentaretur.

*Crates ferrea plurium generum erant.*

Non credimus singulas craticulas tribus dumtaxat costis per longum ductis fabricatas fuisse, sed aliquas tantum: nam in Actis S. Laurentij, & præcipue manuscriptis, legimus, iussisse Imperatorem afferri cratem ferream trium costarum ad eundem sanctum virum comburendum: constat igitur extitisse eas apud antiquos & trium & plurium costarum.

*Qui martyres in craticula cremati fuerint.*

*Vide quæ supra  
in sartagine scri-  
psimus.*

*Quisnam referat  
Acta SS. Lau-  
rentij & aliorum,  
vide, si vis, paulo  
superius.*

*Petri Nicome-  
diensis martyrii.*

Cruciati pressiq. fuere in craticula, igne supposito, furcis quibusdam ferreis Laurentius, Dulas, Eleutherius, Conon, Dorotheus Macedonius, Theodolus, Tatianus, & Petrus, de quo Rom. in Martyrologio hæc IV. Id. Martij narrantur:

Nicomediæ passio B. Petri martyris, qui cum esset cubicularius Diocletiani Imperatoris, & liberius de immensis martyrum supplicijs quereretur, iubente eodem, in medium adducitur, ac primo suspensus diutissime flagris torquetur, deinde aceto ac sale perfusus, ad vltimum in craticula lento igne assatur, sicq. vere Petri extitit & fidei heres, & nominis. ] hucusque Martyrologium.

De hoc eodem Petro plura scribuntur in Actis gloriosissimorum Christi militum Dorothei & Gorgonij antiquis manuscriptorum codicibus contentis, quæ nos breui tempore, vna cum in-

numeris

numeris rebus gestis aliorum vtriusque sexus sanctorum numquam in lucem editis, imprimenda, Deo dante, curabimus, septimo Suriij tomo octauum, nonum, & decimum forte addentes: quo peracto, si adhuc in vita commorabimur, in singulas sanctorum vitas hactenus editas scholia elaborabimus, quibus, quid in eis veri certique, quid item ambigui, quidve falsi reperiatur, quantum in nobis erit, aperire conabimur. Et de craticula iam satis; a qua distinctum profecto erat illud instrumenti genus, quod in sanctorum martyrum Actis, lectus ferreus, appellatum inuenitur. Nam in historia sancti Eleutherij Episcopi (cuius paulo ante fecimus mentionem) legimus Tyrannum, qui eum tormentis affici iubebat, decreuisse, eundem sanctum virum iussu ipsius in lecto ferreo iam cruciatum, deponi ex eo, & torreri in craticula ferrea. Quamobrem distinctus indubie erat lectus ferreus a craticula. Ceterum, vt lectori magis satisfaciamus, placet nobis verba historię in medium asserre; quę quidem sunt hæc:

Tunc fremens Hadrianus iussit afferri lectum æreū, & superpositum virū per quatuor partes extēdi in eo præcepit, quo eius tenera membra dissiparentur: ignis vero subtus erat positus.] ac paulo infra: Et cum transisset hora, existimans Imperator eum mortuum, solui præcepit. Qui extendens manus suas, dicebat Romanis: Magnus est Christianorum Dominus, quem beatissimi viri Petrus & Paulus nobis prædicauerunt, qui multa signa & virtutes in hac vrbe fecerunt, & Simonem illum magum glorificantem, dæmonesq. colentem, quos & Hadrianus, eliserunt ad terram. Tunc Hadrianus iussit craticulam oleo perunctam afferri, & ignem supponi præcepit] & cetera quę sequuntur. hæc Acta Eleutherij; quibus aperte instruimur, diuersam fuisse a strato ferreo craticulam. Confirmant hoc idem quę de eodem sancto viro litteris consignata inueniuntur Romano in Martyrologio 14. Kal. Maij his verbis:

Messanæ natalis sanctorum martyrum Eleutherij Episcopi Illyrici, & Anthiæ matris eius; qui cum essent vitæ sanctimonia, & miraculorum virtute illustres, sub Hadriano lectum ferreum ignitum, craticulam, & sartaginem oleo, pice, ac resina feruentem

X

tem

Lectus ferreus  
diuersus a craticula.

Sic legimus in  
Actis eius manus  
scriptis nostra  
bibliothecæ, quæ  
percurrimus.  
Eleutherij mar-  
tyrium.

*Lectulus ferreus  
quomodo costru-  
ctus.*

*S. Olympiadis &  
Maximi Acta  
Petri refert lib.  
4. c. 53.  
SS. Acindini &  
sociorum Surius  
tom. 6. ex Simeo-  
ne Metaphr.*

*De sella ferrea*

*De galea ignea.*

*S. Iusti marty-  
rium.*

tem superantes.] & quæ sequuntur. Erat igitur craticula a lecto  
ferreo distincta: qui quidem lectus (ut martyrum Acta testifica-  
tur) veri strati instar, & longus, & paulisper eleuatus e terra, ad  
ignem subministrandum, fiebat, cum nonnullis ferri frustis per  
obliquum ductis, quasi tabularum loco, paululum inter se di-  
stantibus. Supplicio affecti fuere in lecto ferreo gloriosissimi martyres  
Eleutherius, Clemens Ancyranus, Plato, Zenobij fratres, de  
quibus omnibus supra locuti sumus: item Olympiades, Maxi-  
mus, Acindinus, Pegasius, Auempodistus, Astionius, Elpide-  
phorus, & alij multi, quorum & nomina & numerum solus  
Deus nouit.

*De sella, galea, tunica, alijsq. ferreis instrumentis ignitis.*

Præter erates, lectosq. ferreos, utebantur etiam Gentiles ad  
Christianos afflictandos sella ferrea ignita. indicant hoc Acta  
sanctorum martyrum Pauli & Iulianæ a Metaphr. recitata Suri  
tom. 4. & Eusebius historiae lib. 5. cap. 1. vel 3. B. Gregorius  
Nyssenus in vita quam descripsit S. Gregorij Thaumaturgi, &  
demum res gesta B. Blasij manuscriptæ, in quibus hæc verba  
leguntur:

Iussit iterum Iudex septem subsellia ænea afferri; & ita eas,  
id est, septem mulieres, quæ S. Blasij martyris, dum torqueretur,  
guttas defluentis sanguinis collegerant, per singula superfede-  
re præcepit. Quæ vero subsellia adeo ignita erant, ut scintillæ  
ex eis, veluti valde succensa fornace, micarent.] hucusque Ca-  
pituli S. Mariæ Maioris vetera manuscripta.

At veniamus modo ad galeas igneas, quibus etiam Christiani  
cruciabantur: siquidem in more positum erat institutoq. Gen-  
tilium, ut his nonnumquam eorum capita contegerentur. cuius  
rei testimonium dant res gesta sanctorum martyrum Clementis  
Ancyrani a Metaphr. relatae Suri 1. & Iusti militis a Menolo-  
gio pridie Id. Iulij his verbis:

Certamen sancti martyris Iusti, qui fuit ex vrbe Roma, mili-  
tans sub Tribuno Claudio; reuertens vero aliquando a cæde  
Barba-

Barbarorum, vidit crucem instar crystalli apparentem, & illinc exeuntem vocem audiuit, qua diuinæ pietatis mysterio initiatus, Romam profectus, facultates suas pauperibus distribuit, Christi fide exultans. Quæ res cum Tribuno innotuisset, & Christi martyr a proposita confessione discedere nollet; illum misit ad Præsidem Magnentium: a quo interrogatus, cum in Christiana confessione constanter permaneret, iussus est crudis neruis verberari, postea ignita galea capite indui, & globos ferreos igne accensos eius maxillis supponi; quæ omnia & alia huiusmodi tormenta fortiter perferens beatus martyr, Deum celebrans, in caminum iniectus, spiritum tradidit, eius sancto corpore integro permanente, ne pilo quidem læso ab igne, in quem fuerat iniectus.] hæc Menologium; a quo non differunt, quæ de eodem sancto viro breui sermone complexum est Romanum Martyrologium eodem loco, nēpe pridie Idus Iulij. Et de galea ignea hætenus.

His ergo tā diris tormentis excruciatas martyribus, non idcirco Gentilium furor in Christi seruos remittebatur; immo eiusdem impulsu fiebat, vt noua alia atque horribilia cruciatuum genera in dies singulos, ad eosdem immaniter torquendos, excogitarent. hinc vel tunica ferrea candenti induebantur, vt de S. Erasmo legitur; vel clavis igneis eorum sacra tempora transfigebantur, veluti de Victorico & Fusciano martyribus apud Mombrinium tom. 1. scribitur; aut accensis ferreis obeliscis sub alis vel lateribus torrebantur, sicuti Taraco, socijsq. eius contigit, de quibus vetera nostræ bibliothecæ manuscripta: vel denique æneis crepidis igneis induebantur, vt de S. Antimo Nicomediæ Episcopo narrat Nicephorus lib. 7. cap. 6. vel crepidis ferreis ignitis clavis confixis calceati, alio incedere cogebantur. Quamobrem de S. Basilisco martyre huiusmodi verba in Græcorum Menologio XI. Kal. Iunij scripta reperiuntur:


Die 22. sancti martyris Basilisci sub Maximiano Imperatore ex regione Amasæ. hic propter Christi confessionem detentus ab Agrippa Præsidente, indutusq. sæpe crepidas ferreas, ignitis clavis confixus, iussus est impelli per viam, quæ ducit ad Comanos. Cumq. in itinere venissent ad locū quemdam, vbi erat mulier nomine Troiana; sanctum Basiliscum, vinctis post terga ma-

*Tunica ferrea  
candens.  
Clavis igneis mar-  
tyrum tempora  
transfigebatur.  
De obeliscis fer-  
reis accensis.*

*De crepidis fer-  
reis igneis.*


*S. Basilisci mar-  
tyrium.*





- A* Martyres in crate ferrea torrebantur,  
*B* Aliquando etiam vel in lecto ferreo,  
*C* Aut in ignita sartagine,  
*D* Aut in olla,  
*E* Vel in tauro aeneo,  
*F* Et demum quandoque in lebetē.  
*G* Ferro huius formæ viebantur Gentiles in his SS. martyrum carnificiis.





A. Statuer in cruce ferret torquentur,  
 B. Alpidando cruce in lecto ferret.  
 C. Qui in cruce ferret.  
 D. Qui in cruce.  
 E. Qui in cruce.  
 F. Qui in cruce.  
 G. Qui in cruce.